

DISCURSUS THEOLOGICUS
CXII.

Vicissim igitur, & in hoc altero problemate, suam produunt malitiam & imperitiam, dum ex Test. Veteris regimine qualitatem et modum Novo colligere præsumunt, cum potius ante omnia, Christi ordinationem & dispositionem intueri deberent. Qualiter enim hic Ecclesiam suam in Novo T. gubernari præcepit, taliter etiam præcisè gubernanda est, sive ea regiminis forma cum Hierarchiâ Judaicâ conveniat, sive ab eâdem multis quoq; modis differat.

Questio Quarta.

Num Christus tempore visibilis
conversationis in terrâ, more Papali, Monarcha fuerit?

CXIII.

Expositum modò fuit synagoga Mosaica regimen: jam porrò ad ipsam Novi T. Ecclesiam per λόγος ἐνσπέρκωσιν, Evangeliiq; prædicationem, feliciter inchoatam accessum facio; cujus primordia, & gubernandi forma, diligenter veniunt consideranda, ut sic appareat, quanto intervallo à priscâ istâ administratione discrepet Romana & Pontificalis Monarchia, quàm nihil ferè sit, in quo fictitio isti vicario Christi, cum Christo ejusq; dominio conveniat.

CXIV.

Initiò autem extra controversiam positum est, Christum in his terris suam rexisse Ecclesiam, ejusq; Magistrum, Pastorem, Regem, Sacerdotem, & Pontificem visibilem fuisse, cum hoc, & dicta, & facta Christi plurima attestentur: istud verò in dubium vocatur, An talem Christus Monarchiam his in terris incœperit & exercuerit, qualem Papa, velut Christi vicarius, sibi arrogat, & continuare præsumit?

CXV.

De quo quidem erotemate, quæ Pontificiorum sit sententia, haud obscure innuit Bellar. l. 1. c. 9. col. 633. A. ita argumentans: Constat Ecclesiam à Christo congregatam, cœpisse initiò regimen visibile & externum habere Monarchicum, non Aristocraticum, aut Democraticum. Christus enim, cum in terris degeret, eam visibiliter administrabat,